



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Porphyria, & S. quidam Abbas ab infamia diuinitus liberati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

416 Cap. XXXVI. Innocentes multos miraculosè à calumnijs liberatos, nem cuiuslibet dubietatis, benedicere & sanctificare digneris: ita ut si innocens (de pronominata causa, vnde purgatio querenda est) hoc ignitum in manus acceperit, illa sua appareat: & si culpabilis atque reus, iustissima sit ad hoc virtus tua, in eo cum virtute declaranda, quatenus iustitia non dominetur iniquitas, subdatur falsitas aequitati. Per Dominum nostrum, &c. Atque hac tantum absuit, ut impia indicarentur, ut sanctissimi Pontifices, principes Christianissimi, viri atque femine sacrate istas purgandi ceremonias vsurpârint. Solet tamen idem factum diversis & atatibus, hic pietatis, alibi erroris nomen accipere. Luitbardus epistolarius apud Carolum III. Imp. Magister à Suenorum proceribus stupri infamatus, quod familiaris, quam domus Casaria maiestatis postularet, cum Augusta viueret, dignitate motus, in Italiam abit. Richarda Augusta, tam sinistro rumore aspersa, candenti ferro crimen adulterij obiectum diluit. Deinde haud umquam talem se à Casare, nedum à quopiam alio mortalium violatam esse persanctè deierat. Misso ac remisso repudio, in Andalaun sacrarum fumarum adem, quam ipsa dedicauerat, petit, ibiq; obiit & sepulta est. Hæc Auentinus.

VII.

Cranzius. lib. 4 Saxoniz. cap 5. & 32. Leont. in vita S. Ioan. Eleemosyn.

Indicant eundem Iustrandi morem historici probatiores. Nam, vt de S. Kunigunda Virgine, & Coniuge S. Henrici, per ignitos vomeres probatissima innocentia taceam, toto orbe decantata, Leontius certè Episcopus testatur, Porphyriam quamdam, priùs Veneris mancipium, impuram vitam duxisse, postea ab Abbate à flagitio ad continentia leges abductâ, apud eundem, quasi in asylo, habitasse, vt haberet custodem castitatis. Ea Porphyria, vti plerumque suspiciosum vulgus facilè ab inuidente Sanctis stygio hoste in iudicia temeraria impellitur, magnæ infamiae dedit occasionem. Alia quædam puella, quæ mater videri volebat, infantem suum in publico exposuerat, quem, ne fame periret, Porphyria transiens, audiensq; vagientem, misericordiâ mota suscepit alendum. Et aluit domi suæ filium alterius de plateis collectum. Quid pronius fuit, quàm suspicari, feminam libidini assuetam peperisse? & peperisse prolem ab eo acceptam, cum quo cohabitaret? Hæc prima suspicio fuit. mox tacitum inter quosdam murmur. mox & rumor à mussitantibus vulgatus. Denique clara fama, vnde & ille, & illa infamis. Sed quia emendanda

danda fuit ea fama, ne & Ordini, & Ecclesiæ noxia esset, Abbas, coram centum & eo pluribus testibus, in suâ, & mulieris castitatis testimonium, ardentibus iussit afferri prunas, quas veste sua copiosè susceptas tulit, nulla ignis nota relicta. Nimirum ut innocentia sua esset defensio, ostendit Deus, facilius esse, vestimenta castorum ab igne, quàm corpora à libidine illæsa permanere. Cùm ergo, diuina gratia muniti hoc possint; libenter Deus prodigiosè illud facit. Simile quid narrat Ioan. Vaszus. Anno Domini

Ioan. Vaszus
in Chron.
Hisp. ad An.
530. 10.

Incarnacionis 530. Toleti sub Amalarico Rege concilium celebratum est, cui presuit Montanus: Qui, ut loquitur D. Isidorus, post Celsum fuit Toletana Sedis metropolitanus Episcopus, vita & eruditione clarus. Is antiquissima fidelium relatione narratur, ad propulsandam conjugalis conuersationis infamiam, candentes prunas tam diu tenuisse veste, dum sacrum perageret, eoque, peracto, nec pruna ignem, nec vestis inuenta est amississe decorem. Nimirum ubi homines fiunt hominum calumniatores, ibi vel elementa debent esse innocentia testes.

Vide & Sophron. in Prat. Spirit. cap. 114.

Valde huic affine est, quod de Simplicio refert Gregorius Turonensis. Is Simplicius perpetuam cum vxore castitatem seruauerat. Electus autem in Episcopum, domi adhuc vxorem retinens, fororis loco fouebat. Quem suspicio non inuadit? & si ansam habet, non lacerat? Locus nullus tam sanctus est, quò non accedit; nullum tam sanctum tempus, quod non violat. Ipso igitur Natalis Domini die festo, ciues inter se, ex suspicione, temerè loquentes, virginis nomen profeiderunt, iraque inflammati, talibus eam verbis aggressi sunt, qualibus hodieque sectarij Catholicos sacerdotes incessere solent: *Incredibile est, mulierem viro iunctam pollui non posse; sed nec vir poterit artibus mulieris iunctus à coitu abstinere.* Altè ea Virgini verba in cor descenderunt, neque potest castitas acerbius verberari, quàm calumniâ impuritatis. Itaque commota iniuriæ grauitate Episcopum adiit æquali castitatis laude dignum, arculamque ferream tunc, ut fieri solet, ad hiemis rigorem temperandum gliscentibus prunis plenam penes se habens, accita famula, expansoque pallio, ardentibus prunas effudit, ac ferè vnus horæ spatio tenens, tandem ita allocuta est maritum Pontificem: *Accipe & tu mitiorem solito ignem, nequaquam tuis velaminibus nociturum.* Suscepit veste suâ transfusos carbones, adhuc

VIII.
Greg. Turon.
de gloria
Confess. c. 76.